

Alia Constantini Marenchi Episc. Aquens. circa executionem testamenti Johannis Bascheria ad pias causas.

393

M C C C C X C I.

Nobiles in Christo dilectissimi. Litteras vestras accepimus, ubi agitur de bonis, & hereditate quondam Joannis Bascheria, ut ex testamento debentur ad piam causam. Grata nobis est vestra probitas, ad pietatem vestra devotio, religiosae mentes, pii simplices affectus ita sunt nobis jucundi, ut esse debent optimo pastori. Gratias agimus optimo Deo, & maximo in vestra religione, pietateque. Pergite filii dilectissimi id genus pia, bona, sancta opera curare. Nos una vobiscum sub jugo Domini laborabimus, & in sanctis hujusmodi rebus nos tum socios, tum duces habebitis. Hoc est laborare in vinea Domini, sperare centuplum ad vitam aeternam consequendam. Recte factum est a vobis, qui mihi casum, causamque significastis, sentio requiri pastoris officium, & excitari jurisdictionem. Quod ego nequeo propter absentiam, facit hoc summus Pontifex, ne pietatis causa pereat, dat iudices, & executores, qui procedant ex officio; plenius hoc scietis ex Apostolico rescripto vestrum est, ut religiose capistis, religiose quoque perseverare usque ad finem, neque piis deesse causis. Quibus nam opus est majore misericordia, quam his, qui defuncti sunt humanis? Illorum pia voluntates, religiosa testamenta servanda sunt. Miserabiles omnes personae sunt, quae omni sunt destitutae auxilio. Beati misericordes, ait Dominus, quia misericordiam consequentur. Laborate in hanc partem, & una meum fovete pias causas, ut misereatur nostri Dominus, & cum suis electis recipiat nos in aeterna tabernacula.

Præceptum Vic. Gen. circa residentiam, & celebrationem missarum in Eccl. Cathe.

394

M C C C C X C I V.

Jacobus Marencus Canonicus Aquensis, & Vicarius Generalis Constantini Marenchi Episcopi Aquensis, & Comitum &c. Quia beneficia propter officia instituta sunt, ideo in primis est curandum, ne vel frigescat, vel diminuat quidquid pertinet ad divinum cultum, animadvertentes quoque, quod Ecclesiam cathedralem frequentet multus populus, ideo sub excommunicationis poena praecipimus omnibus canonicis, & capellanis Ecclesiae cathedralis, quatenus residentiam faciant continuam in ipsa cathedrali diurnis, & nocturnis officiis, & quod sacerdotes omnes unusquisque pro suo ordine sese describi faciat in tabula pro servando ordine ad missas celebrandas. Quod si capellanus aliquis non habeat onus nisi pro celebrandis missis, non incurret in dictas poenas, si forte non interfit, praeter suam missam, & conventualem, aliis divinis officiis; sed si interfit, habeant partem in quotidianis distributionibus, scilicet quartam partem totius ejus, quod habet quisque canonicus. Dat. Aquis in capitulo dictae Ecclesiae ibidem capitulariter congregato XIV.

octobris, MCCCCXCIV. Nomina canonicorum. Jacobus Marencus, Archipresbiter Tiburtius Bulla, Joannes Sifmondus, Bartholomaeus Ainardus, Rainerius de la Porta, Georgius Carmalierius, Jacobus Sarotus, Bartholomaeus Zabreria, Angelus de la Porta, Henricus Ainardus, Bernardus Bellexius.

Diploma Maximiliani I. Imperatoris Ludovico Bruno Aquensi Episcopo.

M D I I I.

395

In nomine sanctae, & individuae Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Maximilianus divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Lotharingiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Limburgi, Lucimburgi, Gheldriae, Princeps Sueviae, Comes, Princeps Habsburgi, Flandriae, Tirolis, Feretri, Gorritiae, Kiburgi, Artesiae, & Burgundiae, Palatinus Annoniae, Hollandiae, Zelandiae, Hamurcae, & Zutfaniae, Marchio S. R. Imperii, supra Anasium, & Burgariae, Landgravius Alsatinus, Frisiae, Marchiae, Sclavoniae, Portus Maonis, Salinarum, & Mecliniae universis has visuris, & audituris salutem, & Caesarem gratiam, & omne bonum. Noverint omnes nuper in praesentia nostra Caesareae majestatis personaliter comparuisse venerabilem Ludovicum Episcopum Aquensem Principem, & consiliarium nostrum, devotum, dilectum, & in conspectu, ac praesentia nostra procerumque nostrorum praesentasse, & ostendisse quaedam privilegia olim per serenissimos fel. mem. Romanorum Imperatores, ac Reges, ac praesertim per Divum Carolum IV. Romanorum Imperatorem, ac Bohemiae Regem, praedecessores nostros Ecclesiae suae Aquensis, & Episcopis Aquensibus S. R. I. Principibus praedecessoribus suis concessa per quae singulorum ipsorum serenissimorum praedecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum gratiam erga ipsam Ecclesiam Aquensem, & ejus Episcopos, nec parvam illius Aquensis Ecclesiae, & Episcoporum ejus erga nos ipsos serenissimos praedecessores nostros, & S. R. Imperium devotionem, ac fidem olim fuisse, & perseverasse liquido videri potest. Cum igitur ipse venerabilis Ludovicus Episcopus Aquensis Princeps, & consiliarius noster dilectus nobis humillime supplicaverit, ut tam pro conservanda memoria dictorum privilegiorum & in eis contentorum quam etiam pro sincero testimonio veritatis transumptum autenticum illorum sub sigillo nostro Caesarea cum interpositione Caesarei decreti, ut ubique fidem facere possit, sibi concedere dignaremur, quorum quidem privilegiorum de verbo ad verbum tenor sequitur, & est talis: *hic inseritur integrum Caroli IV. diploma, quo descripto sic prosequitur Imperator.* Nos igitur animadvertentes, quod justae, & honestae petitioni cujuslibet non est a Caesarea celsitudine cum humiliter supplicaverit denegandus assensus, accedentibus in hac parte ipsius Ven. Ludovici Episcopi Aquensis Principis, & consilarii nostri domestici non exiguis meritis, qui nobis, & serenissimis, & illustrissimis familiis nostris Austriae, &